

matur: parochias franciscanas scilicet in croaticis regionibus (exceptis paucis suo loco designatis) esse regulares et qua tales ad religiosos franciscales spectare.

## C O N C L U S I O

In tractatione nostra ordine chronologico-systematico ab adventu Franciscanorum in croaticas regiones usque ad recentiora tempora ad fidem documentorum examinare conati sumus formam regiminis et elementa organisationis curae pastoralis populi a Franciscanis, qui eandem per sex saecula ducebant. Aperire tentavimus rationem eorum adventus, modum acquisitionis muneris pastoralis, fundamenta juridica in quibus hoc eorum munus fundatur, elementa quoque in forma regiminis populi, ambitum scilicet potestatis episcopi ac superiorum regularium, necnon omnes modificationes decursu temporis in hoc organismo inductas. Conati sumus et finale judicium proferre de natura et charactere hujus laboris, et juris ad parochias ac munus pastorale.

Conclusiones nostrae inquisitionis clare posuimus in fine cujusque capituli, quae hic in fine compressius loquendo synthetice sic enuntiari possunt.

Franciscani in Bosna apparent vertente prima medietate saeculi XIII, circa finem vero hujus saeculi stabili missione inquisitorum ibidem funguntur, anno autem 1340 erigunt ibi propriam Vicariam regularem.

Missio eorum initio inquisitoria, ratione penuriae presbyterorum saecularium, auctoritate Romanorum Pontificum jam medio saeculo XIV (circa 1350) convertitur in proprie pastoralem. Abhinc virtute bullae Joannis XXII »Cum hora jam undecima« et concessionum a posterioribus Romanis Pontificibus instructi Franciscani fundatione et erectione parochiarum, potissimum inter neoconversos ab haeresi et schismate, firmantur in cura pastorali populi in toto regno Bosnae ac aliarum adjacentium regionum croaticarum.

Ita progrediendo sub fine regni Bosnae ante adventum Turcarum, ipsi potiuntur fere totali pastorisatione populi, sub Othomanis vero jam exclusive soli remanent ejusdem